

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Tribulatio ak  
cum fontibus proximo et primis

Si quis uiam laboriosam estimat, sue desidia est accusatio.  
Si enim minaces nautis pelagi fluctus,  
si tempestates atque yemes agricolis,  
si uulnera cedisque militibus,  
si gravissimi ictus plageque pugilibus leues uidentur,  
et tollerabiles sunt propter spem temporalium  
ac pereuncium commodorum,  
multo magis cum celum preparatur in premio;  
  
nichil ex presentibus asperitatibus debet sentiri.

Maxime labores mitigat in benignum finem uenire  
ne aspicias quod uia est aspera, sed quo ducit,  
nec aliam quia lata est sed ubi desinit.

Crisostomus super Mattheum.

*Chrysostomus.*

Si qui uiam laboriosam aestimant, suae desidia est accusatio. ←  
Si enim tempestas pelagi nautis, uulnera militibus,  
frigora et glacies agricultoribus leuia et portabilia sunt

propter spem praemii temporalis,

multo magis cum caelum placet nullum debet sentire periculum.

Maxime labores mitigat in benignum finem uenire.  
Ne aspicias inquit quod aspera est uia, sed quo ducit  
nec aliam quae lata est, sed ubi desinit.

Hugo de sancto Charo, *Postilla super euangelia*, Mat. 7  
(Lyons, 1645, Opera omnia, tome 6, fol.28r).

Quod si nautis minaces illi pelagi fluctus:  
si tempestates, atque hyemes agricolis:  
si uulnera, caedesque militibus:  
si grauissimi illi ictus, plagaque pugilibus leues uidentur,  
atque tollerabiles propter spem temporalium,  
ac parentum commodorum:  
multo magis cum coelum proponatur in praemio,  
et ineffabilia illa bona, atque perpetua  
nihil ex praesentibus his aduersitatibus sentietur.  
→ Si uero aliqui etiam sic uiam istam esse laboriosam putant:  
de sola eorum profecto desidia oritur ista suspicio.

Iohannes Chrysostomus, *In Mattheum homiliae interpretatione Aniani*, 24 (1503 Venice ed., fol.67r-v, ll.52-54, 1-2).  
cf. Iohannes Chrysostomus, *In Mattheum homiliae interpretatione Burgundio*, 24 (Biblioteca apostolica Vaticana, MS Vat. lat. 383, fol.89vb, ll.2-12);  
cf. PL 57, col.314-15, ll.50-59, 1.